

1537
Babo Nal-
dius Corcy-
rae praesidii
praefectus.
Paulus
Naldius a
Senatu cum
litteris Cor-
cyram mis-
situr.

Corcyrae ar-
tem expo-
sitio.

ac rebus Italico bello gestis clarus, qui suam operam in Cor-
cyra defendenda obtulerat, suffectus est; atque grati animi er-
go Paulo filio viginti in singulos menses aurei nummi Sena-
tusconsulto decreti. Is statim Corcyram delatus, magistratibus
litteras Senatus dedit, quibus illos ad rem praecclare gerendam,
ac pro patria omne periculi genus fortiter subeundum horta-
batur; militum laboribus, Corcyraeorum fidei, & virtuti pa-
ria praemia pollicitus: magnum praeterea triremium numerum,
ac milites in minime ambiguum subsidium parari; cum nihil
Patribus magis curae, atque cordi esset, quam insulae defen-
sio, civiumque, & incolarum incolumitas. His magis erecti
praefectorum, ac militum animi intrepide ad hostium impetus
excipiendos se comparaverant.

Admonet hic locus, ut nonnulla de Corcyrae insula dica-
mus, quae inter Adriaticum, atque Ionium mare sita, non
modo ad Epirum, & Graeciam, verum etiam ad Italiam vel
propugnandam, vel invadendam valde est opportuna. Con-
stat enim, Titum Quintium Flaminium, bellum Philippo Ma-
cedonum Regi illaturum, Corcyra trajecta, iter in Macedo-
niam intendisse. Maritimis rebus olim potens est habita,
cum in magna illa expeditione Persarum adversus Graecos,
triginta triremes pro Graeciae statu conservando instruxisse ve-
rusta monumenta testentur. De illius ambitu non eadem est
auctorum sententia; recentiores centum, ac viginti circiter
passuum millibus definiunt; oblonga forma est, atque inter
orientem, & notum protensa; qua parte septentrionem re-
spicit, ab Epiro non longe abest. Verum inaequali tractu di-
viditur; nam ad occidentem, ubi Cassiopes portus situs est,
duorum passuum millium intervallo a continente sejungitur;
ad orientem ea pars, quae dicitur *Leuchimum*, viginti circi-
ter millibus disternitur. Sexaginta passuum millibus a Ia-
pygio Italiae promontorio orientali longitudine distat. Interior
insulae pars in continentem versa dimidiatae lunae formam fe-
re conficit; medium promontorium, in quo arx sita est, sese
in mare porrigit. Aeris salubritate, soli amoenitate vel priscis
quoque ipsis ob Alcinoi hortos, atque delicias insignis, cum
undique erumpentibus malorum medicorum, ac citriorum plan-
tis abundet. Frumenti ferax, praesertim si ad glebae largitatem in-
cola-